



Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum
festiuitatibus habitae

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII

Iesus in caluariam crucifigendus educitur. Art. & Hom. XXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

re voluntatem propriam, seipsum non querere, sed abnegare: odientem diligere, inimico benefacere, nonne crux est interna & occulta? imò quo secretior, nonne eo & grauior? Si ergo Christum volumus sequi, voluntariè eidem sacrificemus nos (quomodo scriptum est) oportet. Qui enim aliud præter Christum desiderat, si propterea habet pati, non Christo, sed concupiscentiæ suæ crucem portat. Multi, imò penè omnes crucem in hoc mundo portamus. Veruntamen hi soli propter Christum portant, qui Christum sequuntur. Quotquot certè Christum sequimur, crucem habemus portare: non tamen quotquot portamus crucem, Christum sequimur. Aliter enim (vt dictum est supra) non dominatur nobis Christus, nisi paratis sequi crucem, hoc est, asperitates & tribulationes ferre post ipsum. Hoc enim est Christi vestigia sequi, quomodo ipse ambulauit, ambulare: & quomodo Petrus dicit: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Quicumque igitur vult haberi Christianus, non fugiat crucem, sed amplectatur: quia crux est vestis, qua suos vestit milites in hac vita Christus. Secundò aduerte, quod Christus sui imitatores non admonet vt Christi ferant crucem, nec generaliter crucem, sed vnumquemq; admonet vt tollat crucem suam, hoc est, propriam. Quid est crucem ferre tollere vè suam? Nempe hoc, vt vnusquisque eam tollat quæ à Domino sibi affertur portada. Neq; enim crux mea, est crux alterius: nec quod alium torquet atq; illi crux est, propterea etiam me torquet, aut mihi crux est. Sed vnusquisq; suam habet crucem, vnusquisq; vnde grauatur habet. Hoc ergo quod illi molestum est, crucem esse suam cogitet, à Domino sibi missam: hanc Christi ferat amore, vt quod alioqui horreret, quod recusaret, iam propter Christum ferat. Quapropter si crux, vitæ virtutisq; propositum dicitur, quod Euangelio quadrare debet, maximè illa in abdicatione propriæ voluntatis, & in veteris hominis mortificatione sita est. Non est igitur omnibus vna, sed sua cuiq; crux est metienda, quæ viribus eius sit temperata. Inde itaq; monemur, ne stulta æmulatione velimus æmulari quorumlibet sanctorum abstinentias afflictiuavè exercitia, quæ ne ipsi quidem nisi singulari gratiæ dono adiuti, ferre potuissent. Tua igitur tibi crux est tollenda, hoc est, iuxta vires tuas, & quantum ferre vales. Neque enim iuberis iuxta alterius mensuram & vires agere (quasi vna sit crux omnium) aut ferre, sed iuxta tuas vires, quas reliquis multis impares fortasse habes aut inferiores.

Psalm. 53.
Cruce concupiscentiæ suæ quis portet.
Cruce propter Christum portantes qui sint.
Vestigia Christi sequi quid sit.

Lucæ 9.
Cruce quomodo quisque suam portare debeat.

Cruce vti cuique sua metienda portandaq; sit, non alterius.

Cruce propter Deum semel assumptam, non esse abijciendam.

Tertiò discutiendum est, non abijciendam suapte voluntate crucem semel assumptam. Verùm si vires tibi deficiunt, si vltra quemadmodum hæcenus tuli, sufferre non vales, licet tibi adiutorium sumere, licet tibi sumere eum qui te iuuet. Vides enim Christum quoq; admisisse adiutorem, non electum, non petiit, sed eum qui illi fuerat datus.

IESUS IN CALVARIAM CRUCIFIGENDVS
educitur. Artic. XXXVIII.

SEquebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illos Iesus, dixit: Filia Hierusalem, nolite flere super me, sed

Lucæ 23.

M sed

sed super vosmetipsos flete, & super filios vestros, quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beate steriles, & ventres quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur.

HOMILIA XXXVIII.

Cum quæra
ignominia
eductus fue-
rit Iesus.
Matt. 21.

Ioan. 19.

Affectus stu-
diaq; sequen-
tium Chri-
stum varia.

Luca 23.

EDucitur Dominus Iesus opprobrio crucis prægrauatus, latronibusq; sociatus, ceu cunctis ignominiosior malefactoribus, per medium ciuitatis, in quam ante paucos fuerat introductus dies cum palmis, cum laudibus, cum cantu occurrentibus eidem obuiam turbis & clamantibus: *Osianna filii Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.* Heu quomodo voces populi, quomodo eiusdem est circa Iesum nunc æstimatio mutata? Tunc agnoscebant eum regem Israel, filiumq; Dauid benedicunt. Modo, *Non habemus*, inquit, *regem nisi Cæsarem.* Sequebatur autem turba multa populi. Tunc enim ex omni Iudæa & Galilæa, & vbiq; Iudæi habitabant, ad diem conuenerant festum. Non pauci quoq; ex gentibus illis iungebantur, qui pro familiaritate vt vicini aduenerunt. Vnde confluxerat populi maxima multitudo. Omnes autem Christi cupiebant videre finem. Fama namq; eius omnes penetrauerat regiones. Atq; idcirco etiam Iudæorum populus Christum voluit in omnium horum præsentia crucifigi, vt qui aduenerant peregrini & præclara de Christo multa audierant, nunc eius damnationem ignominiamq; & mortem videntes, vbiq; diulgarent & infamarent. Erat autem affectus varius sequentium Christum, variaq; studia. Quidam enim ridebant, alij gaudebant, sublannabant alij & improperabant, nonnulli lapides & lutum in Iesum projiciebant, ferè omnes conuiciabantur. Amici pauci clam dolebant, qui tamen propter metum Iudæorum sese non audebant manifestare. Inter hos nonnullæ mulieres sequebantur, quæ liberius flebant, quando quidem & à lachrymis se continere haud poterant, inter quas credenda est fuisse mater Iesu virgo Maria. Sed quid cogitare, quid dicere potuit, filium suum intuens pallidum, cruentatum, consputum, vulneratum, cæsum, damnatumq;, & cruce prægrauatum, aded miserabiliter afflictum atq; curuum incedere, aded crudeliter tractari, interq; furentium clamores & verbera propelli? Aestimanda est certè præ dolore, ne verbum quidem potuisset loqui. Ipsa enim videns filij sui laborem iuxta ac dolorem, pariter cum ipso dolens tabescebat, penèq; exanimabatur. Nemo enim Iesu dolorem pensauit alius, quo modo ipsa expendere potuit sola. Ipsa enim sola eum agnouit. Dominus itaq; licet doloribus & angustijs plenus, conuersus tamen alloquitur mulieres fientes: *Nolite*, inquit, *flere filie Hierusalem super me, id est, super mortem meam, sed super vosipsas flete & super filios vestros, hoc est, super vos & super peccata vestra flete, quæ & vos faciunt miseras, & mihi causam faciunt patiendi: flete super filios vestros, qui modo gaudent, quia nesciunt quid futura illis pariat dies. Ecce enim venient dies, in quibus dicent: Beate steriles, &c. prædixit calamitatem, non multo post tempore futuram, sub obsidione Tui & Vespasiani imperatorum, quam*
in die

in die quoque Palmarum flens super ciuitatem Iesus prædixerat: quæ idcirco erat illis (vt ibi dicebat) euentura, quia non cognouerunt tempus uisitationis suæ. Itaq; Dominus hic non arguit fletum & affectum, sed modum & ordinem instituit flendi. Adiungit quoq; magnitudinem tribulationis futuræ: *St, inquit, in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet?* Hoc est, nolite super me flere, sed super vos, Nam si ego qui lignum sum viride, innocens & absq; culpa, tanta habeo pati: quid patientur ij quorum innocentia aruit, quorumq; periit sanctimonia? Aut si arbor omnis quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittitur, quantum ardebit quæ pessimos etiam & contagiosos adfert fructus? Vide autem hic, quomodo veritas respondeat figuræ. Nam vt in Leuitico scribitur, vitulus & hircus qui solenniissimo sacrificio in expiationem offerebantur multitudinis, extra castra comburebantur. Sic Iesus qui semetipsum obtulit in redemptionem vniuersi generis humani, extra castra (id est, extra ciuitatem) voluit pati, quo simul intelligerent gentes, passionis ipsius fructum nolle ipsum inter septa Iudaicæ gentis includi, sed sacrificium esse commune omnibus profuturum.

Vide quoque hanc ductionem prioribus cunctis & probrosiorem fuisse, & dolorosiorum Christo. Ignominiosa fuit, quia ad locum vltimi supplicij ducebatur. Quis enim non ignominiam sentit, cum ducitur ad patibulum? Deinde, quia ducebatur cum sceleratis, quorum societas Christo parabat infamiam. Tertio, quia comitante populi multitudine ducebatur. Sequebatur enim, vt supra ceperam dicere, vario affectu multiplex turba. Quidam ex inuidia, nonnulli ex curiositate. Christus enim quia signa multa fecerat, cupiebant multi quid in extremo vitæ eius fieret, videre. Suspiciabantur enim, si vlla in ipso esset maiestas, potestas vè, aut si illi fieret iniuria, quod absq; signo aliquo mirabili non esset traditurus spiritum. Sequebantur etiam aliqui ex pietate. Fuit quoq; hæc Christi ductio pœnosa reliquis. Siquidem Dominus noster Iesus Christus ex præcedentibus pœnis, fatigationibus, vulneribus atq; verberibus, adeo laborauerat, adeoq; se viribus exhauserat, vt vel liber vix potuisset incedere: iam tamen grauisimam crucis sarcinam cogitur portare: atq; ideo humi depressus, curuus & gemebundus, sub onere ambulauit crucis. Accessit ad pœnam, quod trabem illam crucis, quæ illi fuerat imposta, tradunt fuisse nodosam, inæqualem, atq; non curiose, sed neglectim paratam, vt pote præ festinatione non dolatam seu complanatam. Quia verò propterea quod Dominus per viam indirectam ducebatur, trahebatur, protrudebaturq;, necesse erat tam ipsum quam crucem eius, quam humeris suis ferebat impostam, moueri atq; agitari, (eius namq; crucis aliquanta pars oportebat, quandiu solus hanc portabat, vt per terram (quia longa erat) protraheretur, atq; continuè in eius humeris moueretur) conquassata in vnum grande vulnus fuerunt multa vulnera parua, inter flagellandum suscepta. Hoc vulnus fertur graue inter scapulas habuisse Dominus Iesus, vt quibusdam Deo deuotis est reuelatum atq; quam sit illi acceptum, si fuerit honoratum.

Ductionem hanc Christo fuisse prioribus dolorosiorum.

Pœna Christi in portando ciuem quanta.

Crucis nodositas & inæqualitas.

Vulnus graue in scapulis Christi vnde.

Auersa quæcunque quo animo ferenda: qua item propria voluntas mala in nobis operetur: & quomodo eadem mortificanda sit.